

Exemplum Planetæ retrogradæ.

Anno Domini 1570. currente, circiter primos dies mensis Aprilis, Mercurius retrogradus est. Nam contra consequentiam signorum, graduum ac minorum fertur, hoc est, motus eius diurnus in Ephemeridibus assignatus, minuitur.

Exemplum Planetæ Stationarij.

Anno Domini 1575. currente, die 18. Martij, Saturnus Stationarius est, cum motus eius diurnus neq; crescat, neq; decreseat, sed idem permaneat, hoc est, cum nulla penitus graduum ac minorum variatio in motu appareat. Versatur autem in statione prima, quia paulo post eam regredi incipit.

ALIVD.

Anno Domini 1583. die 2. Nouembris, Iupiter stationarius est. Nam motus eius diurnus, neq; crescit, neq; decrescit, sed idem permanet, hoc est, nulla prorsus graduum ac minorum variatio in motu apparet. Versatur autem in statione secunda, cum paulo post eam progredi incipiat.

Sol & Luna, ut supra id quoq; fideliter monuimus, semper directe mouentur, ac propterea nunq; in retrogradationem incurrere possunt: Sic caput & cauda Draconis, semper retrograde cursum suum perficiunt, & nunq; directe.

DE VELOCITATE, TARDITATE, ac æqualitate motus planetarum.

CAPVT IX.

Planeta velox motu esse dicitur, dum secundum signorum graduum ac minorum consequentiam fertur, motusq; verus velocior est eius medio motu. Contra tardus, dum retrograde incedit, aut quando tardius progreditur, quam est eius medius motus. Aequalis, dum verus & medius motus simul adæquantur. Id autem commodè deprehenditur ex Ephemeridibus, si motum Planetæ diurnum verum elicueris, per subtractionem alterius ab altero, minoris videlicet à maiore, eumq; cum medio motu eius contuleris.

Tabella mensuræ motuum Planetarum.

EXEMPLVM.

Anno Domini 1567. die 20. Martij, Mars directe procedit, motusq; verus velocior est medio eius motu. Idcirco velocem motu esse pronuncio.

		Motus verus Martis in Ephemeridibus.		
		Dies	Grad:	Minut:
Martij	20	10	47	x
	21	10	51	
			47	Motus diurnus verus Martis

Extractus, maior est, quam medius motus, qui est minut: 31.

ALIVD.

Anno Domini 1569. 10. Aprilis, Mercurius etsi directus est, motus tamen verus tardior est medio eius motu, Vnde tardum motu esse pronuncio.

Motus verus Mercurij in Ephemeridibus.

		Dies	Grad:	Minut:
Aprilis	10	21	13	y
	11	22	15	
			48	Motus diurnus verus Mercurij extra

ctus, minor est, quam medius motus, qui est minut: 59.